


Sammeld. 07

Continet hoc volumen

1. Sani historiam dea christiana
2. Nithae lib. so. Geop. diff. de proressu salutari doct. sub Monacho.
3. Erichi Auz. Antidoti de viciis Sclerantibus viciis
4. Wicifell diff. de singularibus prouid. diuina in pace religionis vestigia
5. Wicifell diff. de ceteris patrum oecorum.
6. Wicifell diff. de primis in his christiana inter Russos religionis
7. Wicifell diff. de eo enotacione monastica
8. Wicifell diff. de Christi ad ista omnia apostolica.
9. Wicifell diff. de vestigiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
10. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
11. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
12. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
13. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
14. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
15. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
16. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
17. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
18. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
19. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
20. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
21. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
22. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
23. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.
24. Wicifell diff. de vitiis antiquissimi doctrinae, reddenda iustis vitiis in his.



ORDINIS THEOLOGICI

H. T.

DECANVS
ERNESTVS AVGVSTVS
BERTLINGIVS

S. S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS
PROMOTIONEM IN FACVLTA TE THEOLOGICA

FACTAM

NIMIRVM

VIRVM SVMME VENERABILEM

GODOFREDVM SCHWARZIVM

S. S. THEOL. IN ACAD. RINTELIENSI PROFESSOREM PRIMARIVM CONSI-
STORII ECCLESIASTICI ASSESSOREM ET ECCLESIA RVM PER COMITATVM
HASSO SCHAUMBVRGICVM SVPERINTENDENTEM FAC. THEOL.

RINT. H. T. DECANVM

SACROSANCTAE THEOLOGIAE
DOCTOREM

D. XXV. IVNII A. R. S. MDCCL

ABSENTEM TAMQVAM PRAESENTEM

CREATVM ATQVE PROCLAMATVM ESSE
IAM PVBLICE INDICIT

SIMVLQVE

DISPV TATIONEM THEOLOGICAM CARDINALIS CA-
MERACENSIS CVM IOANNE HVSSO IN CONCILIO
CONSTANTIENSI HABITAM

ILLVSTRAT.


HELMSTADII

LITTERIS SCHNORRIANIS



10

THESE
DE
MAGISTRO
FRANCISCO
MARTINO
DE
SALAMANCA
MAGISTRO
FRANCISCO
MARTINO
DE
SALAMANCA



th
fa
li
a
d
o
fa
r
e
o
c





uae solent esse corruptelarum humani
intellectus fata, quod nimirum si ho-
mines semel inutilium vocabulorum
speculationi, spinosarum quaestionum
tractationi, et inanium axiomatum
studio dediti, emendationi omni meliori viam praeclu-
ferint, rixas varias de nihilo inceperint, lites de vocibus
facientes ac acerbiter augentes, illi etiam inexplicabi-
libus illis laqueis, quos ipsi posuerunt, constricti iace-
ant, nodos inuenientes, eorum vim augentes, et tam-
dem summa cum incertitudine in tenebris palpantes,
omnem veri speciem amittant, id ipsum obscuris illis
faeculis accidit, vbi scholasticorum agmina grassaban-
tur, omni recto veri et pulchri gustu corrupto et in
exilium eiecto. Quomodo tales minutiae hominem
occupatum teneant, et, quo minus ipsam veritatem pul-
chra facie adspiciat, impediunt, satis superque docent
illae

illae, quae olim inter NOMINALES et REALES fuerunt philosophicae controuersiae. Nam quamuis cuilibet de lana caprina tantum esse videri posset, tamen tantum illius momentum homines in ea viuentes facere nouerunt, vt omnem Philosophiam et Theologiam, in his infelicibus saeculis, facie, qua adparere debuit, secundum eam ornarint, vel potius deformarint. Quod etiam hodie saepius accidit, vt alicuius hypotheseos philosophicae vel vsus vel consensus cum Theologia demonstretur, id iam fecerunt illi homines, et hinc nati tot haereticorum exercitus. a)

Erat quidem tota fere scholasticorum doctrina nihil nisi vocabulorum arbitrario nutu excogitatorum scientia, et in iis distinguendis, extendendis, restringendis, impius labor ac taediosissimum studium. Quae vocabula quum ABSTRACTA et VNIVERSALIA indicarent, ne de nihilo labor esset, mox quaeri caeptum est, NUM VNIVERSALIA ESSENT ALIQUID? Quae quaestiones quamuis in Platonica disciplina traditae videantur, b) ac in eis inter Platonem et

a) Iam primus Nominalium parens ROSCELLINVS, vniuersalia mera nomina dicens, nec realem distinctionem inter vniuersalia, et quod ad id accedit, vt fiat indiuidium, admittens, erroris ad-cusatus est, ob eum refutatus ab ANSELMO CANTVARI-ENSI et proprio discipulo PETRO ABAELARDO.

b) PORPHYR. in celebri ISAGOGE, quae organo Aristotelis praemittitur, statim in initio has quaestiones vel verbo attigerat, easque omittere promiserat. *Αδίκου, inquit, περί γενών τε, και ειδών, τὸ μὲν ἔτε ὑφεστημεν, ἔτε και ἐν μένους ψιλῶς ἐπινοίας καίται' ἄτε και ὑφεστημέτα σώματα ἔστιν, ἢ ἀσώματα' και ποτεζόν χωριστά. ἢ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς και περί τούτου, ὑφεσμέτα παραστήσεως λέγειν etc. Ne longe*

et Aristotelem fuisse diffensus, c) tamen Plato longe aliud quid mihi dixisse viderur, d) quam dixisse perhibetur ab Aristotele et quibusdam Scholasticis. Serio et magna contentione tamen disputata est haec quaestio, quum DIALECTICAE artibus quidam se dedissent, Saec. XI. XII. quo ABÆLARDVS qui a ROSCELLINO hanc doctrinam hauserat, publice docuit, vniuersalia non esse a parte rei, sed oriri opera solius intellectus, e) ac adeo *vniuersalia sola esse rerum nomina,*

A 3

longe abeam, de generibus et speciebus, consistantne in rerum natura, an in solis nudis animi notionibus posita sint, et si consistunt in rerum natura, num corpora sint, an incorporalia; et vtrum separata sint, an in rebus sensibilibus, et circa has consistant, recusabo dicere etc. O si Scholastici haec vestigia sequi voluissent!

- c) Locus non sufficit, vt fustus h. l. ostendam, quidnam fuerit verum diffensus Aristotelis a Platone fundamentum. Cui nota sunt illa, quae de materia prima et forma rerum Aristoteles docuit, quae de intellectu vniuersali actiuo ex Aristotelicis principiis hausta tradidit Auerroes, qualia deinde Almaricus inter ipsos Scholasticos circa initium Saec. XIII. principia professus sit, ipsam Aristotelicam philosophiam non modo largissimum errorum fontem esse cognosceret, sed forsitan in ipso hoc diffensu Aristotelem alias partes tuitum esse, quam vulgo creditur. Vid. B. VVDDEI *Diss. de Spinozismo ante Spinozam in Analect. Hist. Phil.* nec non in OBSERV. HALENS. LAT. Tom. I. obs. 15. *de haeresibus ex Philosophia Aristotelico Scholastica ortis.*
- d) Quod plerique veteres e. g. IAMBlichVS, APVLEIVS, ex Patribus AVGVSTINVS, ex Scholasticis THOMAS AQV. Opusc. 20. Lib. IV. c. 4. DVRANDVS Lib. II. Diss. III. q. 6. et recentiori aevo SVAREZ Diss. Met. Disp. VI. Sect. II. p. 131. et CONIMBRICENSES in Dial. Arist. P. I. p. 48. seqq. et recentiores hodie fere omnes agnouerunt.
- e) CONIMBRIC. dum l. c. Q. IV. Art. I. p. 15. hanc quaestionem tra-

na. f) Vnde huius affectae NOMINALES, g) et qui
contra hos disputabant REALES vocati sunt. Et sa-
ne

tractant: Quando inuestigamus, inquit, *utrum res sint uniuersales secundum se (a parte rei vocant) an opera solius intellectus? de quolibet etc.* vnde patet, has quaestiones oppositas esse, hanc a Nominalibus, illam a Realibus defendam. Conf. infra disp. HVSSI.

- f) Egregium de historia Nominalium superest monumentum in BALZII *Miscell. Lib. IV. p. 537.* Nimirum A. 1473. quoniam in Gallia Thomistae perpetuis disputationibus a Nominalibus superabantur (quod narrat Celeberrimus BRUCKER *Fr. aus d. Philos. Hist. P. V. p. 135*) illi persecutionem aduersus hos excitarunt, ut contra eos LVDVICVS XI. Galliae rex editum promulgaret, quod apud NAUDAËVM in *Addit. ad Hist. Lud. XI.* legitur. (v. Bruck. l. c.) NOMINALES articulos exhibuerunt Regi, quos exhibet BALZIVS l. c. In his ita de doctrina sua: *Illi doctores nominales dicti sunt, qui non multiplicat res principaliter signatas per terminos secundum multiplicatam terminorum. Reales autem qui e contra res multiplicatas esse contendunt secundum multiplicatam terminorum. Verbi gratia. Nominales dicunt, quod deitas et sapientia sint una res et eadem omnino, quia omne quod est in Deo, Deus est. Reales autem dicunt quod sapientia diuina diuiditur a deitate.*
- Item Nominales dicti sunt, qui diligentiam et studium adhibuerunt cognoscendi omnes proprietates terminorum a quibus dependet veritas et falsitas orationis, et sine quibus non potest fieri perfectum iudicium de veritate et falsitate propositionum. Quae proprietates sunt suppositio, appellatio, ampliatio, restrictio, distributio exponibilis. Cognoscunt praeterea obligationes et insolubilem naturam, vera fundamenta argumentorum dialecticorum et omnes eorum defectus. Quibus rebus instructi de unaquaque argumentatione facilliter cognoscunt, an bona sit an mala. Reales autem haec omnia negligunt et contemnunt dicentes: Nos inuis ad res de terminis non curamus etc. Haec est relatio authentica fide dignior illa, quam aliunde haurire debemus. Inuenimus tamen et hic, quod iam in textu notauimus

ne ab utraque parte erat difficultas, siue quaestio:
num vniuersalia existerent? adfirmaretur siue nega-
 retur. Si enim non existunt, nihil sunt, h) ac per
 consequens ipsis non respondet notio. Si vero exi-
 stunt, tollitur canon, quod *omne, quod existit, indivi-
 duum sit*, dein debent vnum esse, ac sic pluralitas non
 poterat conciliari. Nominales docuerunt vniuersalia, e.
 g. homo, equus etc. esse nuda nomina. Nauseam accipiet,
 qui distinctionum agmina perlustrat, quibus rem per-
 ditam restituere conati sunt plerique hi subtilitatum
 magistri. Vt nimirum obiectionem ab vnitatem de-
 sumtam tollerent, distinguere coeperunt inter vnitatem
 formalem et numericam, i) illamque non hanc
 vniuersalibus vindicarunt, et dum hanc vindicarent
 de modo praedicandi non conuenientes, ortum est
 sententiarum diuortium inter Thomistas et Scotistas, k)
 his fere eas sententias defendentibus, quae postea sub
 Spino-

MUS INGENIUM DIALECTICVM. CONIMERICENSES ad
 Dial. Arist. Tom. I. p. 80. Nominales docuisse dicunt, nullam
 prorsus rem communem et vniuersalem, de qua scientia esse
 posset, existere. At enim, quia scientias de medio tollere
 absurdum iudicassent, eas de solis nominibus haberi statuisse,
 indeque Nominales quod tantum nominibus tribuissent, nun-
 cupatos esse. Conf. SVAREZ *Disp. V. p. 94, et alibi.*

z) THOMAS AQUINAS et ALBERTVS MAGNVS hoc nomine
 eos adpellarunt. CONIMBR. l. c.

h) CONIMBR. l. c.

i) CONIMBR. l. c. p. 95. seq. Artic. I. Q. II. SVAREZ *Diff. Met.*
Diff. VI. Sect. I. p. 127.

k) Nominales dixerunt vniuersalia e. g. animal, homo etc. esse sola
 nomina, nec esse aliquid reale in mundo, quod iis responde-
 at.

Spinofismi 1) nomine tamquam periculosissimae Atheismi accusatae sunt. Et vt dubium aliud a contradi-

at. Reales contrariam amplexi sunt sententiam. Sed quum reale quid esse dicerent, in hoc conuenire non potuerunt, quid tandem suum illud reale et vniuersale esse dicere deberent? Scotistae dixerunt a) vniuersale talem habere vnitatem, quae non multiplicaretur in indiuiduis, sed omnia indiuidua eiusdem naturae habere vnā et eandem formalem vnitatem, vnam (inquam) non tantum ratione, sed re ipsa; b) hoc vnum vniuersale in omnibus indiuiduis ita esse, vt ex natura rei distinctum sit ab vnitae indiuiduali s. ab accidentibus. SVAREZ l. c. Disp. VI. p. 128. Thomistae autem Thomam suum sequentes docent a) hoc vniuersale s. hanc vnitatem formalem non esse communem multis indiuiduis, sed tot multiplicari vnitates formales, quot sunt indiuidua (v. l. c. p. 129.) Et b) non esse vnitatem aliquam, quae secundum veram vnitatem realem eadem sit in multis indiuiduis, sed solum secundum quamdam conuenientiam vel similitudinem. Qui Thomistae dein in ipso indiuiduo inter vniuersale et inter id, quod ad vniuersale accedit, vt fiat indiuiduum, nullam aliam distinctionem, nisi distinctionem rationis admittunt, quam Scotistae formalem adpellant, (v. SVAREZ l. c. p. 128.) inde FORMALES dicti, qui species *Realium* sunt. (БРУСК. l. c. p. 1314.) Meam si addere licet sententiam, adparet, per duriusculas illas tam loquutiones, quam sententias, quibus quidam philosophi in participatione vniuersalis naturae eadem fere ratione mysterium quaesierunt, qua actu est in maximo S. S. Trinitatis mysterio, Saec. XI. alios impulsos esse, vt ab hac haeresi discederent; Thomistas dein mediam quamdam viam ingresses, hoc lenimento effecisse, vt plane omnis sopita esset lis, ac Nominalium interiret secta; Scotum vero Thomae aemulum renouasse monstruosas quorundam veterum sententias; ac hac Scoti temeritate illius disceptulum Occam Saec. XIV. permotum esse, vt ad extrema rursus transferit, ac Nominalium sectam quasi postliminio re-duxerit.

1) BAYLE *Dict. f. voc. Abelard. p. m. 18.* ex ABAELARDI epistolis huius

inctione vniuersalis et singularis desumptum tollerent, aiebant hanc oppositionem esse priuatiuam, et vniuersale singulari opponi, m) quemadmodum multitudine vnitati opponitur. Vt ergo, quamuis, quidquid existat, vnum sit, tamen etiam multa existant. Haec controuerfia philosophica tantam excitauit discordiam contentionemque, vt Nominalibus, variisque, iique grauissimi errores n) praesertim in doctrina de mysterio

B

sterio

huius verba adlegat, quibus aduersarii GUILIELMI CAMPELLENSIS sententiam ita describit: *Erat in ea sententia de communitate vniuersalium, vt eandem essentialiter rem totam simul singulari suis inesse adstrueret indiuiduis, quorum quidem nulla esset in essentia diuersitas, sed sola multitudine accidentium varietas.* De qua sententia pronuntiat, eam esse *dans le fond un Spinozisme non developé.* Et in notis: *Les Scotistes avec leur vniuersale formale a parte rei ou leur vnitas formalis a parte rei ne s' éloignent point de ce sentiment.* Thomistas ego vero crederem, quamuis Realistas, ab hac Spinozismi suspicione absolui debere. Sed secundum Guilielmum Campellensem et Scotistas (v. n. k) vniuersale semper in omnibus est idem numero, vt si e. g. sint homines Petrus, Paulus et Iacobus, Homo vniuersalis concipitur sub A et cuiuslibet accidentia indiuiduum constituentia sint x. y. et z. Petrus sit A+x Paulus numero idem A+y et Iacobus etiam idem A+z quae sententia quam absurda sit, iam termini produunt.

m) SVAREZ. l. c. Disp. V. p. 92.

n) ROSCELLINVS Saec. XI. et ABAELARDVS Saec. XII. hanc fortunam philosophicam experti sunt, veri philosophici martyres. Primi Nominales a Realibus haeretici declarati, quemadmodum postea illi iniuriam veterem vindicantes, iure talionis in Husso Reali vsi sunt. Et quidem ROSCELLINVS Tritheismi accusatus est, cuius aduersarius grauissimus ANSHELMVS Cantuariensium ArchiEp. in Epist. ad Fulconem eius haeresin ita describit: *Audio quod tamen absque dubietate credere non possum.*

sum, quia Roscellinus clericus dicit, in Deo tres personas esse tres res ab inuicem separatas, sicut sunt tres Angeli, ita tamen, ut una sit voluntas et potestas, aut Patrem et Spiritum S. esse incarnatum, et tres Deos vere posse dici, si usus admitteret. Vid. TRIBBECHOV. de Doct. schol. p. m. 323. Ob hanc haeresin in Synodo Sueffionensi R. 1092. (vid. Act. ap. LABBEVM CONCIL. TOM. X. p. 484.) damnatus est, palinodiam cauens, sed mox ad pristinam sententiam reuertens. GOD. ARNOLDI conatum ROSCELLINVM excusandi (v. Kirch. und Ketzer Hist. P. I. L. V. C. XI. §. 5. p. m. 337.) improbat B. WEISMANNVS (Hist. Eccl. Saec. XI. p. m. 771.) quamuis Arnoldi expressam mentionem non faciat. Ego quidem saluis melioribus ita sentio, ut quum vniuersalia nuda nomina et vocabula dixerit Roscellinus, ipsique, quum absurditatem contrarii dogmatis (vid. not. 1)) vrgeret, mysterium S. S. Trinitatis obiectum fuerit, ille etiam nomen *Deus* pro vniuersali habuerit respectu diuinarum personarum, ac adeo perinde esse existimari, si tres Deos esse diceres, quia vnitatem nulli vniuersali tribuere voluit. Non tamen longe absum, fateor, ab ea opinione, quod credam, quum de Roscellino tantum super sint aduersariorum testimonia, quod haec sententia tantum sit consequentia, nimirum per modum consequentiae ex thesibus Nominalisticis deducta, et per inuidiam Roscellino imputata. In HUSSO videmus exemplum. Cur non ab exemplo etiam hic concludere liceret?

ABAE LARDVS, quamuis contra Roscellinum disputasset, tamen etiam erroris in S. S. Trinitatis doctrina aduersus est, quum essentiarum confutans pluralitatem personarum trinitatem negasse dictus sit, quem tamen BERENGARIVS Scholasticus et propria APOLOGIA defendit (TRIBBECHOV. l. c.). ABAE LARDVS dixit: *sicut eadem oratio est propositio, adsumptio et conclusio, ita eadem essentia est Pater, Filius et Spiritus S. v. BAILE Dict. l. c. p. m. 20.* Et de ABAE LARDO in genere praeter BAE LARDVM l. c. etiam la vie de Pierre ABELARD de Paris 1720. 2. Tom. in 12. Vid. Mem. de Trevoux Mens. Iun. ad A. 1721. Conf. etiam CHR. THOMASII vita Sap. et Stultitiae, in qua patris sui IAC. THOMASII vita Abaelardi p. 75-112. occurrit, quam adlegat BAE LARDVS; et de-
nique

sterio S.S. Trinitatis o) imputarentur. Magnum na-
ctus est Roscellinus aduerſarium Anſhelmum Cantua-
riensẽm p) cuius magna dein fuit Realium auctori-
tas.

B 2

nique BRUCKER. Fr. aus d. Ph. H. I. c. p. 94r. seqq. A
Conciliis Sueffionensi A. 1120. et Senonensi A. 1140. Abaelardus
damnatus est.

- o) Ratio est manifesta. Reales enim doctores eadem fere ratione de
existentia vniuersalium loquuntur, qua de mysterio S. S. Tri-
nitatis dicere ſueuerunt Theologi, vt quemadmodum ſit vnus
Deus ac tres personae, sic vnũ vniuersale semper totum idem
in omnibus indiuiduis, indiuidua autem plura esse; quae lo-
quendi ratio a blasphemia non longe abest. Notari haec debent
ob ea, quae de Husto sequuntur, nam cum eo disputatio
super S. Caenam habita, in qua etiam docetur mysteriosa quae-
dam Christi existendi ratio.
- p) Sic enim ille in Edit. Opp. Colon. 1573. Tom. II. Lib. de In-
carn. verbi cap. 2. p. m. p. 42. postquam longius de eo dixisset,
quod in mysteris rationi nimium indulgere non debeamus,
pergit: *Nemo ergo se temere mergat inconfusa difficillimarum
quaestionum, nisi prius in soliditate fidei, conquestio-
rum et sapientiae grauitate: ne praec multiplicia sophisma-
rum diuerticula in tanta leuitate discurrens, aliqua tenaci il-
la quaeretur falsitate. Cumque omnes, et cautissime ad sacrae
paginae quaestiones accedant, sunt commonendi, illi utique no-
stri temporis dialectici (immo dialecticae haeretici, qui quidem
non nisi statum vocis putant esse vniuersales substantias, et qui
colorem non aliud queunt intelligere nisi corpus, nec sapientiam
hominis aliud quam animam) prorsus a spiritualium quaestio-
num disputatione sunt exsufflandi. In eorum quippe animabus
ratio, quae princeps et iudex omnium debet esse, quae sunt in
hominis, sic est imaginationibus corporalibus obvoluta: vt ex eis
se non possit euoluere; nec ab ipsis ea quae sola et pura ipsa con-
templari debet, valeat discernere. Qui enim nondum intelligit,
quomodo plures homines in specie sint vnus homo, qualiter in illa se-
cretissima et altissima natura comprehendat, quomodo plures perso-*

122.

tas. q) Et quidem mox exspirauit Nominalium secta, donec eandem resuscitauit GVILIELMVS OCCAM Saec. XIV. ob hoc insigne meritum a suis VENERABILIS INCEPTOR r) adpellatus. Ab eo tempore infernales fere inimicitiae, et persequutiones vnus sectae contra aliam audita sunt.

Incidit in hoc tempus vita IOANNIS HVSSI patris et doctoris Pragensis acutissimi Dialectici s) et Realistarum partibus feruido studio dediti. Tamtum ab-

nae, quarum singula quaeque est perfectus Deus, sint vnus Deus. Et cuius mens obscurata est ad discernendum inter equum suum et colorem eius, qualiter discernet inter vnum Deum et plures relationes eius. Denique qui non potest intelligere aliquid esse hominem, nisi indiuiduum: nullatenus intelliget hominem, nisi humanam personam. Omnis enim indiuiduus homo persona est. Quomodo ergo iste intelliget hominem assumptum esse a verbo non personam, id est, aliam naturam, non aliam personam esse assumptam. Haec dixi: ne quis antequam sit idoneus, altissimas de fide quaestiones praesumat discutere: aut si praesumpserit, nulla difficultas aut impossibilitas intelligendi valeat illum a veritate, cui per fidem adhaeret, excutere. Iam veniendum est ad id, propter quod incepimus.

- q) Non modo HVSSVS ad eum prouocauit, sed arguenit primarii instar Anselmi auctoritatem praemittunt CONIMBRIENSES l. c. p. 81. seq.
- r) COM. l. c. p. 80. Alias etiam Doctor singularis, plerumque Doctor inuincibilis dictus. Vid. BRVCKER l. c. p. 1190.
- s) BRVCKER. l. c. p. 1324. prouocat ad TRITHEMII *Annales Hirsaug.* Tom. II. p. 315. vbi ipse euoluens haec deprehendit: *Fuit enim (scil. IO. HVSSVS) versutus ingenio, sermone saueudus, et in logicis disputator acutus. Quae vero idem BRVCKER. V. C. desiderat, inquirendum esse, num forsitan HVSSVS et adfectae Reales fuerint, et has disputationes in reliquis controuersias intulerint, id expositum esse per hanc disputationem existimo.*

absuit, vt contra receptam religionem docere vellet, vt WICLEFVM inauditum, nec de eius sententia satis informatum pro suo zelo condemnaret atque odio haberet. t) Nec poterit ex satis probatis auctoribus aliquid de Hussio probari, quod contra religionem Romanam docuisset, u) nisi quod abusum indulgentiarum improbauc-

B 3

t) THEOB. Huss. Kr. p. 4. seq.

u) Inter primos, qui historiam Hussi et factorum huius temporis scripserunt, praecipue hic consulendum duco ZACHAR. THEOBALDVM. Prodiit illius historia Latine et Germanice. Et quidem Germanice s. tit. HussitenKrieg. III. Edit. quam possideo prodiit Norimb. 1623. Et nuper ob singularem libri praesentiam et utilitatem illum denuo prodire curauit immortalis ille et splendidissimorum meritorum gloria insignis Halensium Theologus S. V. BAUMGARTEN.

In hoc libro iuxta ordinem chronologicum omnia fidelissime enarrantur, et ita prouti optime cum ordine rerum gestarum ab aliis traditarum consentiunt. En seriem actionum Hussi vsque ad eius praesentiam in Conc. Constantiensi. A. 1401 incipit praedicare, Wiclefo adhuc infensus (p. 5.) Expertus tamen iam odium clericorum, forte quia eorum vitia taxauit (p. 7.) quod autem fecerunt etiam illi, qui dein grauissimi Concilii Constant. fuerunt Patres. A. 1404. Hussus Wiclefum aestimare incepit ob librum de realibus vniuersalibus a studiosis Anglis ipsi communicatum (p. 9.) eod. A. picturam Anglorum contra Pontificem commendat, nimirum Ioannem XXII. contra quem tunc temporis fere omnes iique piissimi et aestimati Theologi publice dixerunt. A. 1406. 1407. 1408. exorti sunt tumultus isti inter Germanos et Bohemos, quorum finis A. 1409. fuit abitus plurimorum studiosorum ex Academia Pragensi, et ortus Academiae Lipsiensis p. 12. seqq. IOANNES HVSS RECTOR creatur. p. 15. A. 1410. libri WICLEFI et HVSSI iussu ArchiEp. Pragensis combusti sunt, et Hussus Romam citatur, cuius causam ipse Rex agit. A. 1411. Papa Hussum athe-

bauerit, quod vero plerique viri eo tempore publice fecerunt, nec eam ob rem Hussus in CONCILIO CONSTANTIENSI condemnatus esse legitur. Non tulerunt aequo animo hunc abusum ipsi Concilii Antistites IOANNES DE GERSON ET PETRVS DE ALLIACO, et hi ipsi omnia vitia Ioannis XXIII. acerbissime taxarunt, quae eadem etiam Hussus taxarat. Erat ergo omnino in principiis his quoad praxin et ipsam theologiam x) amicissimus consensus inter Hussum et Patres Concilii, nisi quod hi, utpote *ex Academia Parisiensi* Doctores, NOMINALES, Hussus REALIS fuerit. Haec quidem REALIS SECTA HVSSVM etiam conciliauit WICLEFO, quem pessimum haeticum credidit, et nomen eius abominabile habuit. Nam si fides habenda ZACH. THEOBALDO, quum videlicet intimationem Academiae Oxoniensis in honorem Ioannis Wiclefi d. 5. Oct.

1403.

mathemate ferit. Eod. anno lites cum indulgentiariis incipiunt. A. 1414. ipse Huss publice contra indulgentias disputat, unde tumultus. A. 1413. Huss Romam citatur, et ob anathema urbi Pragensi inflicto Pragam relinquit. Constantiam citatur. Dein Pragam rediens, Constantiam abit. Quid hic Hussus? Taxauit vitia Clericorum? Idem omnes fere fecerunt, quotquot in Concilio auctoritate polluerunt. Indulgentiarum abusus improbauit? Idem fecit ipse Petrus de Alliaco, et alii praestantissimi Concilii Patres. In S. Coena contra Ecclesiam Romanam docuit? Non docuit, nec transsubstantionem reiecit, nec usum calicis introduxit. Illam enim ipse confessus est adhuc in Concilio, et hanc demum A. 1415. IACOBELLVS von der MESS (v. T. H. p. 51.) introduxit, Hussus iam captiuo, negotiorum tamen maxime laudante. Nam quamuis Theobaldus contra nos sentiat (p. 4. p. 15. seq.) tamen ipsa narrationis series (ad quam virum non semper attendisse credo) ipsum resellit.

1403. adfixam, et dein eius librum DE REALIBVS
 VNIVERSALIBVS legisset, maximi aestimare ince-
 pit Wiclefum, eiusque libros commendauit HIERO-
 NYMO PRAGENSI fidiſſimo ſuo comiti. y) Quae ſi,
 vt citatus Auctor narrat, vera ſunt, nos non dubitare
 permittunt, quin Wicleſus, ſaltem in hoc libro, Rea-
 liſtarum principia ſequutus ſit. Eadem principia de-
 in ſequutus eſt HIERONYMVS PRAGENSIS ſubti-
 lis diſputator, et acutus Dialecticus, cui, quum Con-
 ſtantiae primo in Minoritarum monaſterio compa-
 reret, nihil, quod contra religionem docuiſſet, ob-
 iici potuit, z) niſi quod Nominaliſtarum ille anteſi-
 gnanus IOANNES DE GERSON, ſic loqueretur: Mi-
 ſocie, quum adhuc Pariſiis eſſes, putabas ob loquacita-
 tem tuam, te angelum ex caelo eſſe, totam vniuerſi-
 tatem excitavi, multos erroneos ſyllogiſmos publice po-
 ſuiſti cum quaestiõibus adiectis NB. ſpeciatim DE V-
 NIVERSALIBVS ET IDEIS, quae multa excitarent
 ſcandala. Ad quod Hieronymus: Ego mi Domine Ma-
 giſter, inquit, ita reſpondeo: Quod Pariſiis publice di-
 ſputavi, id etiam defendi, tamquam Philoſophus et Ma-
 giſter Vniuerſitatis, rationibus philoſophicis. Si quid
 vero argumentatus fui, vel docui, quod non rectum eſt,
 rogo vos, vt me velitis docere, ac de eo informare.
 Quem

x) Immo PETRVS DE ALLIACO tranſſubſtantiationem negauit,
 quam HVSSVS acriter defendit, illo ſacramentalem vniõnem
 tantum admittente v. THEOB. l. c. p. 72.

y) TH. l. c. p. 9.

z) l. c. p. 57.

Quem sermonem Hieronymi dein inutilia tentamina,
vt haeresis ipsi posset obiici, sequuta sunt.

Sed vt ad priora redeamus, dicendum est hoc
tempore maximae auctoritatis fuisse hos duos Realis-
tas in Academia Pragensi. Non tulerunt hi patienti
animo Nominalistarum in Academia Pragensi placita.
Quare quum plerique Germanicae nationis tam pro-
fessores quam studiosi gloriam famamque venerabilis
inceptoris tuerentur, non cessauit Hussus, donec Ger-
manis priuilegia adimeret, eosque moueret, vt ACA-
DEMIAM PRAGENSEM relinquerent et conden-
dae ACADEMIAE LIPSIENSIS occasionem darent.
(a) Qui IOANNES HVSSVS quum ob eam rem in
Nominalistarum infensissimum incurreret odium, in-
ter quos Nominalistas recte numerari credo celebres
illos Hussi aduersarios STEPHANVM PALE CZ et MI-
CHAELEM DE CAUSSIS, ipsique ob varias aduer-
sus vitia conciones haereseos crimen obiurgaretur, ci-
tatus ad CONCILIVM CONSTANTIENSE in illo
com-

a) Docent hoc articuli Nominalium supra n. f) citati. Ita illi p.
534. Item secundo legimus Nominales expulsos de Bobemia eo
tempore quo haeretici voluerunt Bobemicum regnum suis haeresi-
bus insicere, vt colligitur ex historia Pii Papae, quam de Bobe-
mia conscripsit, ita quod cum dicti haeretici non possent supra-
dictum disputando superare, impetrauerunt ab Abbatibus (Wen-
ceslanm significant) Principi Bobemiae vt gubernarentur studia
Pragensia ritu Parisiensium. Quo edicto vt ibidem habetur coac-
ti sunt supradicti Nominales Pragam ciuitatem relinquere et
se transfulerunt ad Lipzitam ciuitatem et ibidem Vniuersitatem
erexerunt sollemnissimam. Quibus expulsis haeretici per regnum
Bobemicum suas haereses seminauerunt.

omparuit. Sed huius Concilii membra fere omnia Nominalibus addicta, Hussi causam tractarunt iniquissime. Narrant quidem ipsi Nominales, b) Doctores catholicos, PETRUM DE ALLIACO et IOHANNEM DE GERSON, Iohannem Huss et Hieronymum Pragensem publice per 40. dies disputando ita superasse et confudisse, ut se argumentis Petri de Alliaco victos confiterentur. Sed qualis disputatio? Num Theologica? Num Theologo digna? a) gedum videamus.

Postquam d. 5. Iunii tumultuarium examen habitum fuisset, in examine d. 7. Iun. in praesentia Caesaris habito c) imputabatur Hussi primo, quod docuisset, panem etiam post consecrationem manere panem naturalem, quam quidem doctrinam Hussus negabat et pernegabat, firmissime et tenacissime doctrinam de transubstantiatione defendens. Fuit ergo Hussus omnino in his Papista, nec est quod metum hanc confessionem extorsisse dicas, quum dein hilaris mortem obiens libere, quae crederet, eloqui potuisset. Examinator illi datus PETRVS DE ALLIACO CARDINALIS CAMERACENSIS, qui ipse transubstantiationem falsam habuit, et sacramentalem tantum unionem docuit. Hic cum illo congressus omnem operam dedit, ut Hussi ipsum illud dogma reiectae transubstantiationis imputaret, ac dein sub haeretici

C
nomi-

b) BAL. l. c.

c) THEOB. l. c. p. 82.

nomine condemnaret. Quis crederet Petrum hunc eo vsque persequutioni indulgisse, quum sententiarum communio fauorem potius quam odium parere soleat? Sane aliud quid bilem mouit huic purpurato. Et quid illud, nisi tanti Nominalistae in Reales odium atrocissimum? Hussus nimirum negante, se docuisse panem manere panem, et contra transsubstantiationis dogma publice proficiente, Cardinalis ad id confugit, quo illi se recipere solent, qui argumentis ab inuidia sua defendentes, consequentiis onerare aduersarios solent. Operam dat, vt disputatione quadam euincat, Hussum docere ea, quae se non docere iam saepius protestatus fuerat, ex ea quidem ratione, quia Hussus esset Realis. Quis non videt, hic se prodere omnem rem? Audiamus colloquentes.

Incipit Cardinalis: Iohannes Hufs num credis, vniuersalia esse de parte rei?

Quaestionem hanc intelligit, cui ex antecedentibus cognitum est illius inter Nominales et Reales diffidii momentum. Idem est, ac si diceret: Num es Realista?

Resp. Hufs: Omnino, nam ita S. Anselmus et alii docuerunt.

Haec Hufsi adlegatio probat, quanta in hac controuerfia fuerit S. Anselmi auctoritas, de quo iam supra quaedam monui. Huius nomine tui erant Realistae, vtpote sancti, contra quem disputare inconconsultum erat Petro.

Card. Sic vero irrefragabiliter sequitur, quod post recitationem verborum institutionis maneat pars materialis, quod sic probabo: Post factam consecratio-

crationem; si panis transubstantiatur in corpus Christi, prout tu dicis, aut manet ibi natura vniuersalis, aut non. Si prius, doces manere panem materialem, si posterius, cum singulari natura simul interit vniuersalis.

En fallax argumentum, et astum Cardinalis maiorem omni arte sophistica! Docent Realistae, vniuersalem naturam esse vnum quid actu existens; indiuiduum autem ita esse, vt ad vniuersale accedant accidentia. Sic est vniuersalis natura panis A. Et si velis indiuidua panum tibi concipere, habebis 1) A + b 2) A + c 3) A + d. 4) A + e et 5) A + f, ita vt A semper sit vnum idemque vniuersale sine multiplicatione. Iam vt intelligas argumentum Cardinalis, singas panem n. 3. esse panem consecrandum. Sic facta consecratione, aut manet A et mutatur tantum accidens, aut non manet. Si manet A, ex A + d factum esset A + x. A vero est panis, ergo nulla transubstantiatio facta. Sume posterius. A + d ita debet mutari, vt totum mutetur. Esset e. g. Y + x. Sic concludit, quia A vnum idemque est in reliquis indiuiduis panibus, ergo reliqui panes, quamuis non consecrati, sunt e. g. n. 1) Y + b 2) Y + c 4) Y + e et 5) Y + f, et sic in omnibus panibus in toto mundo, ita vt plane interisset natura vniuersalis panis in mundo, cui nullum amplius responderet indiuiduum.

Hufs: Quia manet transubstantiatio, vniuersalis natura in hoc singulari contra naturam debet interire, sed in reliquis singularibus manet singularis natura.

Videmus, Hufsium non respondisse ad argumentum Cardinalis. Recipit se ad doctrinam de mysterio.

ENC. 2

et credit, quod contra naturam, siue quod h. l. idem est contra rationem aliquid a DEo fieri possit. Commune hoc Papistarum solet esse refugium, sed quis contra rationem credet, quae tamen non reuelata sunt?

Hufs: Anglus quidam surgit et sic loquitur: Si omnes reliquae singulares naturae retinent vniuersalem, hoc etiam fit in sacramento.

Hufs: Hoc puerile est argumentum, quod etiam pueri in scholis norunt. Num vis esse Theologus, nec nosti, magnam esse differentiam inter diuinas, supernaturales et naturales res, et si nosti, cur diuersas materias vis confundere?

Alius Anglus: Si panis materialis non remanet, debet disparere, quod tamen non fit.

Hufs: Quamuis panis materialis maneat, tamen occulta ratione transsubstantiatur in corpus Christi.

Alius III. Anglus: Hufs idem loquitur, quod Wiclef, qui omnia, quemadmodum Hufs, concessit, et hoc non obstante credit, post consecrationem manere panem naturalem etc.

Hinc Hufs magna contestatione adfirmavit, se quae crederet, ingenue profiteri.

Dein Anglus ille, qui tertio loco loquutus fuerat: Num credis, corpus Christi totum essentialiter esse in sacramento Altaris?

Hufs: Omnino, credo ex toto corde, quod corpus, quod natum est ex Maria virgine, passum, mortuum, et sepultum est, resurrexit, et ascendit in caelos, et iam sedet ad dextram Patris caelestis, vere et essentialiter sit in sacra Caena.

Pest

Post hanc confessionem adhuc multa de vniuersalibus disputata sunt. Vnde

Anglus, qui secundo loco loquutus fuerat: Quid prodest, quod multa de vniuersalibus disputemus. Hufs vt audio recte credit de S. Caena.

Habemus hic ipsos confitentes aduersarios, se non posse erroris in doctrina Hufsium conuincere, nisi quod sit Realista, et quod secundum eos ex Realismo sequatur hic error, quum tamen quod stuporem creat, plerique Nominalistae actu fouerent hanc sententiam de sacramento S. Caenae, quam Hufso voluerunt imputare, nec Realistarum quis, qui omnes caeci adfclae Pontificis fuerunt, facile inueniatur, qui in hac re cum iis fenserit.

Stockes Anglus: Quum Pragae essem, vidi libellum, quem tuum esse dixerunt, in quo hanc sententiam doces.

Hufs: Saluo honore, mentiris.

Card. Florentinus: Quia Magister es, noueris omnem veritatem consistere in ore duorum vel trium testium. Iam vero vides ultra viginti eruditos, sapientes, et graues viros, qui omnes hanc tuam doctrinam testantur.

En artes illas, errores imputandi! per disputationem de vniuersalibus Hufs non potuit conuinci, se docuisse in S. Caena panem manere panem. Iam voluit per testes conuincere, qui omnes Nominales fuerunt, et eatenus veri testes, quatenus licet per inuidiam sententiam inuito auctore ad confessionem detorquere, et his consequentiis fictis et extortis innocentem cumulare.

Huf: DEus et conscientia mihi testimonium perhibent, mihi numquam tale quid in mentem venisse, multo minus docuisse.

Card. Camerac. Petrus de Alliaco: Secundum conscientiam tuam iudicare non possumus, sed ea sequimur, quae testes eloquuti sunt. Nec hoc de te ex inimicitia vel odio restantur, sed tales causas allegant, ut contenti esse debeamus, nec de eorum testimonio dubitare. M. Stephanum Palecz dicit, tui prae aliis esse inimicissimum, et dolo ex libris tuis quosdam articulos excerpisse, sed crede mihi iniuriam ipsi facis. Ex meo iudicio tolerabilius et tam fideliter exscripte, quam ymquam in libris tuis possint inueniri. Audio etiam te talia de aliis praestantissimis viris dicere, et etiam Cardinalem Parisiensem D. Gerson, cuius similis non est in mundo, pro suspecto habere.

Quis hic non videt manifestam iniuriam a Nominalibus vni Reali nimirum Hufso illatam? Petrus de Alliaco, Ioannes Gerson maximi erunt Nominales, gloriae et nominis cupidi, zelotypi, omnis contradictionis impatientes. Quale crimen Hufsi Ioannem Gerson pro suspecto declarare!

Quae dein disputata sunt de WICLEFO, de seditione excitata etc. magis exacerbatum animum iudicum et adulatorum produunt, quam dogmatis alieni speciem. Sed longius dicere deberemus, si haec pertractare et artes Nominalium dilucidius exponere vellemus. Potius ad id accedimus, cuius causa haec scripta sunt. Annuntianda enim est iam publice, quae suscepta est ab ordine Theologico Candidati dignissimi in *Doctorem Theologiae* Promotio. Est is VIR

VIR

SVMME VENERABILIS AMPLISSIMVS
EXCELLENTISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

GODOFREDVS SCHWARZIVS

S. S. THEOL. IN ACADEMIA ERNESTINA, QVAE RINTELII
FLORET, PROFESSOR PRIMARIVS, CONSISTORII ECCLE-
SIASITICI ASSESSOR, ET ECCLESIARVM PER COMITATVM
HASSO SCHAVMBVRGICVM SVPERINTENDENS,
FAC. THEOL. RINTEL. h. t. DECANVS

De quo antequam meis verbis loquar, et negotium
Ecclesiae et eruditioni salutare enarrem, ponam hic
vitam viri meritissimi piam et laudabilem, quam ipse
sic enarrare voluit:

Natus sum *Iglouiae*, quod oppidum est regium, liberum
ac montanum, in *Terra Scepusiensi*, Superioris Hun-
gariae; pignoris titulo, iam inde ab a. 1412. ad Regem
et Rempublicam spectans Poloniae. Germanica oppidi
et Rempublicam spectans Poloniae. Germanica oppidi
ciuibus, cum plurimis aliis, Scepusii vrbes, oppida et vi-
cos, incolentibus, origo est: ac regia diplomata, per in-
tegrum adhuc saeculum XIII et XIV. *hospites Saxones de*
terra Scepusiensi eos vocant. Lingua, qua in praesens v-
tuntur, leges et instituta, quibus reguntur, mores, quibus
viuunt, germanici. Pater mihi fuit SAMVEL SCHWARZ,
qui, cum adolescens artem pharmaceuticam didicisset
Thorunii Prussorum, in patriam terram redux, *Iglouiae*
confedit et mercaturam exercuit. Deinde, in senatum
quoque allectus, annis 1708 et 1709 Iudicis munus, quod
inter ciues oppidi primum, sed ambulatorium, est,
difficillimis temporibus, quippe quibus belli vis et late
grassans contagio omnia vastabat, fortiter administravit.

Auus

Auus meus ANDREAS SCHWARZ, Parochus, sic enim dicebantur, Michaelis-villae, in eadem Terra Scepusiensi, qua colitur a Germanis, in dirissima illa persecutione, quam Protestantium ecclesiarum et scholarum ministri, ab anno 1672 sequentibus, passi sunt, facultatibus omnibus exutus, et a parochianis et familia sua migrare iussus, exsul venit Gedanum, comitem ducens patrem meum, coniuge et duobus praeterea, quos habuit, liberis in patria derelictis. At, vix annum senex vexatissimus contulerat Gedani, cum viam omnis carnis pie ingrederetur, et, cum exilii socio, TOBIA WEISS, Parocho Popradiensi in Terra Scepusiaca, iisdem diebus vitae huius calamitatibus subducto, vni caerimonis, vno in sepulchro, publicis vrbis sumptibus, non sine funebri pompa, SCHWARZIVS ET WEISSIVS, conderentur. Habeo haec ex ore b patris mei, plura beneficia alia, quibus exules Christi Senatus et ciues Gdanenses certatim quasi cumularunt, maxime vero supremum illud, libenter commemorantis. Sic pater meus accessit Gedanum, Gedano Thoronium, et ad vitae genus hic sese praeparavit: donec patrios fines repeteret, fortunarum autem sedem Iglouiam deligeret: matrimonium cum matre mea, IVDI-
THA KOENIGIA, ciuis et senatoris Iglouiensis, IOHANNIS KOENIGII, filia, contraheret. His quidem parentibus, anno 1707 die 19 Nouembris, in lucem sum editus, ac sacro fonte, manibus Parochi Romano-catholici, qui domi meae munia, vt vocant, stolae iam vni exercebant, tinctus. Matrem saepe narrantem audiui, consensisse susceptores in ANDREAE nomen, quod, vt aui mei memoriam grati recolerent, puero mihi imponeretur. Perfecisse autem nutriculam, nescio quibus suis precibus, vt, pro nomine ANDREAE, inusitatus inter ciues meos praenomen referrem GODOFREDI.

Sexto

Sexto aetatis anno, primis literarum elementis et sanctissimae religionis nostrae principiis quadam tenus innutritus, in vicinum Augustanae Confessioni Addictorum, quod *Leutschouiae*, floret, missus sum gymnasium. Neque enim, in patrio oppido, Protestantibus nobis ultra prima elementa sub institutione nostrae confessionis magistrorum, progredi erat permissum. Totos Leutschouiae annos septem haesi, praeceptorum non solum publicorum, sed etiam privatorum, quos optimus pater meus ad latus mihi esse voluit perpetuos, institutione et custodia usus. Duplex interea in patris, mei amantissimi, comitatu iter feci. Alterum Wratislaviam, et hinc per fines Moraviae Viennam, salutato in reditu Posonio: alterum Wratislaviam iterum. Extremo hoc itinere confecto, musis Leutschouiensibus vale dixi, annumque *Cbetneckini*, addiscendae linguae Slauonicae, annum vero *Osdgyanini*, addiscendae linguae Hungaricae gratia, utrinque in scholis Augustanae Confessioni Addictorum, consumsi. Sed facultatem flauice atque hungarice loquendi scribendique, quam sane biennii illius spatio sic satis facilem adeptus eram, pridem amisi. Quod cito fit, cito perit. Gratissima prae ceteris conuictus Osdgyanienfis mihi recurrere solet memoria; quam, pretio numerato, in domo et ad mensam Spectabilis ac Generosi Domini GEORGII BARTIK, viri, pro sua in me benevolentia, nunquam satis praedicandi, nactus fueram. Erat huic coniux ANNA LVSENSZKY: huic autem Frater FRANCISCVS Liber Baro LVSENSZKY, et huic coniux CLARA VASS; quorum omnium gratia, quae summa esse potest, florebam. Ab Osdgyanienfis adii *Eperiesinum*; qua in vrbe gymnasium, per illud tempus, Augustanae Confessioni Addictorum moderabatur Rector PETRVS PAVLVS TOPPERTZER; cui non publice tantum instituendus, sed domi etiam

D

iam

iam alendus, a patre optimo traditus sum. Paucos equidem huic meo doctore faciliores in docendo, et, qui summam seueritatem summa cum humanitate temperarent, gratiosiores vidi. Huic ego debeo, quidquid in literis hebraicis, graecis atque latinis, ceterisque in studiis humanitatis, extra academiarum circulos, sum consecutus discendo. Biennio, et quod excurrit, in gymnasio Eperienfi exacto, salutatisque, per diuerticulum, cultissima Casouia et Tockayino, cum potiore tractu suo vinifero, cum firmiter eandem petere constituisset academiam, et qua magister ille meus aestimatissimus prodiit, ipsius consilio in academiam Ienensem tantum non extrusus sum. Discendens vero diligenter ab eodem monitus, vt cum praxi linguarum artis praecepta solertissime coniungerem, et ad philosophos me applicarem, studium theologicum, cui a puero dicatus eram, rite exculturus.

Veni itaque *Ienam*, adulto Septembri anno 1726, albo statim academico, Pro-rectore IESAJA FRIDERICO WEISSENBORNIO, adscriptus. Hospitium, simul ac licuit, in aedibus Celeberrimi cepi STOLLII; ad quem accurata commendatione Summe Reuerendi IALVFKII, ad aedem sancti Spiritus Wratislaviae Praepositi dignissimi, accessi instructus. Ac Stollii in me merita, et inusitatam plane, qua in me vsus est, facilitatem si reticcam, ingratus sim. Quot ille bonas horas, dulcissima inter colloquia et vtilissima, mecum contriuit! quodue ad summam Viri integerrimi laudem pertinet, nunquam, sui illius, quem tam prolixè erga me declarauit, amoris pretium facturus, vel suas, vel amicorum suorum, merces mihi obtrufit. Meo vsus sum iudicio, cum doctorem illum mihi praecipue deligerem in historia literaria, philologica et ecclesiastica N. T. cumque commentantem audire de vita, scriptis et dogmatibus Patrum primitivae eccle-

ecclesiae; qui postea commentarius typis exscriptus prodit. Studiorum praeterea formatores habui in historia civili, Illustrem **BVDERVM**; quem musae elegantiores gratulantur, diuque adhuc sibi exoptant, superstitem: in historia sigillatim patria b. **SCHMEIZELIVM**. Linguas codicis sacri V. T. cum Syriaca ex ore accepi **LEONHARTI HOFMANNI**, qui postea OO. LL. Professor obiit. Docentem mathemata et physicen Illustrem audiui **HAMBERGERVM**, Salanae suae decus eximium. In historia ecclesiastica iterum, tum in theologicis vnum et solum, audiui b. **BVDDEVM**, nulla eius acroasi neglecta omnino. Sed cum theologiam auspicatus elencticam, ad meliores sedes translatus esset vir immortalis, intra priuatos fere parietes me continui, totumque legendis atque excerpendis bonis libris me dedi; quos liberali manu cum hospitemus optimus b. **STOLLIVS**, e bibliotheca sua selectissima, tum illustris **BVDERVS**, ex praestantissima academia publica, mecum communicarunt. Tacui hactenus de philosophiae studiis, quae fidelissimus praeceptor meus in academiam discedenti summa fide mihi commendauit: sed quo consilio ad rem adgrederer, non docuit. Ipse quidem philosophiae Aristotelicae, in statum patriae inspiciens, vacabat domi; sed vt, discipulus Thomasiannus, refutatore magis ageret, quam commendatorem. Quare, vt lenam veni, partim Decani philosophicae per illud tempus facultatis monitis victus, partim ciuium, quos reperi, et quorum doctrinae plurimum tribui, sermonibus persuasus, me ad eclecticicos, quos vocant, applicaui, sectariam, quod aiebant, nouam, multis iisque portentosis et exitiabilibus erroribus scatentem, canepius et angue fugi. Sic toto comparatus eram biennio, cum interea philosophia recens vires quotidie in academia acquireret maiores. Mouit ea res me, vt, paulo iam

confirmato acumine, in rem penitus inquirerem, multa ex aliis audirem, plura legerem; quo factum est, vt et ipse ad philosophos recentiores me molinarem, eorumque systema perspecturus accuratius, in disciplinam me darem b IOH. HENR. KÖHLERI, partem vtramque, theoreticam et practicam, maximo cum applausu studiosae iuuentutis, docentem.

Extremo autem, vt dixi, vitae meae academicae anno, priuatim fere cum doctoribus demortuis conuersantem, et ad cathedram academicam me pro viribus praeparanti, missa est e patria vocatio, et quidem ad ornandam gymnasiū Leutschouiensis, in quo tirocinia posui literarum, Conrectoris prouinciam. Quam etsi, ab institui mei ratione alienam prorsus, scriptis literis statim sum deprecatus parentum tamen voluntate, missoque ad me mandato seuero, consiliis, quae iniueram, nuntium mittere, patriam repetere spartamque oblatam suscipere, contractus sum. Redii hinc ad lares patrios exeunte Septembri anno 1730, ac vergente ad finem Octobri commendatum mihi munus adii: vacanteque id temporis Subconrectoris etiam prouincia, vtramque obiui. Quae functio, etsi tunc dura mihi acciderit, subiit tamen posthaec prouidentiam venerari diuinam, quae prima me voluit elementa remandere, sine quibus rei scholasticae vigor et firmitas sibi constare solet rarissime. Et cum gradatim ascenderem, id n.e per singulas intellexisse classes, puto, non tam veterum carpendam esse docendi methodum; quam homines theoretici, in museis tantummodo suis inepte negotiosi, ac nullo plane rerum vsu instructi, tam audacter incusant, quam temere mutant, ipsaque experientia teste ad ruinam humanitatis artium, maiorem in dies et deplorationem, innouant: non, inquam, methodum veterum carpendam esse et sollicitandam, sed vnum et

et solum accusandum, frigus scholasticae rei patronorum, qui, quod doctores, in ludo puerili desudantes, de- spectos iacere, ac bonis saepe dentibus male comedere, patiuntur, homines tantummodo melioris fortunae ex- spes, siculneos et tam a literis quam a moribus impar- tos, ludis praeficere coguntur literariis. Haec lerna ma- lorum est scholasticorum, haec fundi nobilissimi calami- tas: Symptomata curant, non morbum a sede sua eunt depulsum seculi nostri methodici, quotquot sunt, quot- quot fuerunt. Alienissimus ego semper ab hac innouandi cupiditate sui, vsu quippe doctus optimam quamque me- thodum ineptissimam euadere, nisi magister, egregie e- ruditus et prudens, ipse sit methodus, formamque prac- scriptae, pro diuerso discipulorum suorum habitu atque ingenio, omni tempore inflectere sciteque norit tempe- rare. Quod ni faciat, non calceos pedi, sed pedem apta- bit calceo. Annum vnum, menses quatuor, in Con- rectoris exegeram sparta, cum Rector gymnasii, IOHAN- NES SIMONIDES, ad munus vocatus ecclesiasticum, Leutschouiensibus valediceret. A cuius abitu, sexto sta- tim die, inuisitata suffragantium, qui sunt coetus ciuium vniuersus Augustanae Confessionis Addictorum, consen- sione animorum vnoque adeo singulorum ore gymnasii Rector electus, nec multo post solemniter inauguratus sum, mense Martio anno 1731. Ac licet non deforent, qui me ad cathedram ecclesiasticam promotum vellent, con- stans tamen in statione mansi, eaque propter rarius verba pro concione sacra feci, ne inter comperitores vacantium munerum ecclesiasticorum ingratiis referret. Accessit, quod consilium Germaniae oras repetendi nunquam ita potuerim abiicere, quin etiam atque etiam animo recur- sareet acriusque instimularer torpentem. Patre quidem eodem sum orbatus anno, quo ex academia redii; quem

mater post biennium ad meliores sedes secuta est. Hic
 meae menti meoque viuendi iuri relictus, quo minus ta-
 men discessum admaturarem, lis effecit iudiciaria, quam
 b. pater meus totos quindecim annos egit, neque vllum
 finem vidit. Hanc ego dirimendam suscepi, communi
 litium progressu. Causa enim cadens ad regium tribunal
 prouocare, tum litis acta, mihi denegata, regii iudicis
 diplomate, mandatum compulsorium vocant, a manibus
 iudicum pedaneorum necesse habui liberare. Quibus ex-
 tricatis, vt et causae meae praesens melius prouiderem,
 et illustrissimas totius regni vrbes viserem, impetrata ab
 ephoris gymnasii, cui id temporis praeceram, venia, ipse,
 a. 1734 mense Iunio, accessi Pestinum; qua in vrbe supre-
 ma florent appellationum tribunalia omnia. Celebres in
 itinere salutavi vrbes et oppida, Eperiesinum et Cassoui-
 am iterum, Miskoltzinum, prouentu vini generosi et tan-
 tum Tockayensibus, illis in partibus, secundi nobile, A-
 griamque episcopalem, ex ruinis barbaricis mirifice ex-
 surgentem. Vix autem appuleram Pestinum, visum, nun-
 quam vero auditum me sibi, liberaliter hospitio excepit
 Spectabilis ac Generosus vir SAMVEL BOHVS, inclitorum
 Comitatum Pest, Pilis et Solth tabulae iudiciariae
 Assessor, et causarum viriusque fori per regnum Hunga-
 riae Aduocatus, facile sui temporis princeps. Vir prole-
 cto egregie doctus, et qui, post plurium annorum in a-
 cademia Wittebergensi commorationem, summumque
 eum SCHVRTZFLEISCHIO *τὸ πρῶτον* vsu, ad causas ani-
 mum adfecit in patria agendas. Difficillimis ceterum mo-
 ribus, mihi tamen, praeter omne meum meritum, ad-
 dictissimus. Quidquid praestantium, in seriniis suis, ad-
 feruabat librorum, vel manu scriptorum, meis exposita
 esse voluit vsibus. Huius itaque in viri contubernio to-
 tum illud consumsi trimestre, quod abiit, donec causa
 mea

mea ad finem deduceretur exoptatum. Sed cum ad iudicium redirem pedaneum, plausibilisque cum maxime, quam apportavi, sententiae flagitarem executionem, verissimum cognoui vetus illud esse dictum, qui lites sectantur, aureis eos hamis pisciculos piscari minutos. Vt res eueniret, personam lusi illius, qui dixit, si mihi stomachum moueris, triduo me sentias esse iureconsultum. Ceterum, delectat me in praesens liberalius lucrum, quod ex florentissimarum urbium, Budae et Pestini, usu, regionumque frequentatione dicasteriorum, ad quae discendi cupidus quibusque liber patet aditus, hospitis denique mei grauissimi ex sermonibus, retuli. Atque haec in maiorem partem anni 1735 sese extenderunt. Gratiore otio donatus, aliud atque aliud meditari et conscribere institui: necessariis autem vndique destitutum me molestissime ferens praesidiis, exteris oras salutandi desiderio flagrare iterum caepi, iterumque repudiare inceptum, donec, cupiditatem inter metumque dubium, quid, nisi aeternum illud confirmaret consilium, cuius nutu res mortalium reguntur. Ne quam tamen schola, quam moderatus sum, ex repentina desertione, calamitatem acciperet, abitus mei causas et certam domicilii mutationem toto prius ephoris meis significauit semestri: termino deinde adueniente constituto, prouincia deceffi. Ante vero montanas patriae vrbes, in primis Schemnitzium, Kremnitzium et Nouifolium salutandas duxi, quam pedem proferrem. Hoc quoque itinere ex sententia confecto, ineunte vere anni 1738, necessariis quibusque, et patronis haecenus, meis vltimum vale dixi: ceterum, per fines imperii, ad Belgas excurrere, Halae autem Saxonum sedem figere fatorumque illic diuinorum exitum operiri, constitui.

Ac primum accessi Posonium, qua in vrbe, cum ex iucundissima plurium amicorum doctorumque virorum,

tum

tum praestantissimi MATTHIAE BELII quotidiana ex consuetudine, me plurimum retulisse, gratus recordor. Viennae hinc Austriae ut multa me suspensum tenebant spectacula, inque his bibliotheca Caesarea, vere Augustis heris suis digna, ita neque amici, ex quorum sermonibus proficeram, mihi defuere. Ad PIVM NICOLAVM GARELLIVM, Caesaris Archiatrum et bibliothecae Augustae Praefectum, Belianae literae, ad MARINONIVM, Augusti Caesaris Astronomum, incredibilis viri summi humanitas aditum mihi aperuit crebriorem. Quod Pofonii Bellius, Norimbergae insignis pietatis insignisque eruditionis vir, GODOFREDVS THOMASIVS, poliater longe clarissimus, mihi fuit. Tenuit et Francofurtum ad Moenum me per aliquod tempus. Atque hic, utrum in Belgium concederem, an Marpurgi hiemem transigerem appropinquantem, mecum deliberans, salutato Marpurgo, academiae illius me tantopere cepit elegantia, ut annum paene spatium in ea considerem; civium academicorum in numerum relatus, Illustri tunc Iurium Professore, iam Perillustri Domino IOH. VLTRICO DE CRAMER, Prorectoris academiae munere, multa cum laude, obeunte. Neque erat, quod eius me poeniteret consilii, ut etiam in felicitatis meae parte haud postrema semper repositurus sim, audire mihi licuisse philosophum, quem actas nostra veneratur, et cuius merita nulla unquam tam ingrata conticefceret posteritas. Perillustrem iam Dn. L. B. DE WOLF. Nam ut systematis, quod non minore acumine, quam improbo condidit labore, theoriam olim mihi viderer perspexisse, late tamen patentem usum doctrinarum, quarum ex inuentis veteribus iuxta ac recentioribus selectum fecit, eximiamque illarum foecunditatem, tantum ex ore summi artificis penitus mihi contigit cognovisse. Dum moras traho, Perillustri viri cuiusdam alterius opera,

ta, ingrata mente mihi nequaquam conterenda, parum
 absuit, quin in vicinia Marpurgi muneri implicarer ec-
 clesiastico. Verum aliae diuinorum factorum rationes fu-
 erunt.

Sic in finibus Imperii diutius, quam proposueram,
 conuersato et temporis et sumtum faciendum erat com-
 pendium. Quare, dimisso itinere Belgico, vnas in hoc
 tractu illustres Casselas, Serenissimorum Principum atque
 heroum, sub quorum vmbra hospes felix hactenus requi-
 eui, sedem, nouaque academia celebrem Göttingam, sat
 habui vidisse. Cuius voti damnatus in Saxoniam movi
 Superiorem. Vidi Gothae, quidquid Serenissimi Princi-
 pis indulgentia peregrinantibus liberaliter patere vult, mi-
 nistrorum autem alacritas prolixè explicat cupidis videndi.
 Quo nomine HERM. VLRICO A LINGE, gazophylacii
 numarii praefecto, maximas post mortem etiam debeo
 gratias: tam ampla scilicet viri in me fuit humanitas, tan-
 ta comitas. Decurrente denique ad finem anno 1739, a
 lenensibus, Halam perueni Saxonum et a Prorectore illi-
 us temporis Perill. Dn. DE LVDEWIG albo academico in-
 scriptus. Anno eodem honores magisterii ab Amplissimo
 philosophorum Ordine, Illustri IOH. MICHAELE AL-
 BERTI Decani munere fungente, petii, simulque impe-
 travi, vt praefes dissertationem meam defenderem, inau-
 guralis loco exhibitam, *De initiis religionis christianae
 inter Hungaros, ecclesiae orientali assertis*. Perspectum ve-
 ro habens, quantam mihi inuidiam non publici saporis
 mouerem argumento; tam itaque vt mitigarem, exem-
 plis omnibus, quae in academia non sunt distributa, no-
 uum indui titulum, ac *Levdewigos* distrahenda in vulgus
 curavi. Latere tamen diu non potui Adm. Reu. P. CA-
 ROLO PETERFY e Soc. Iesu, vt quem grauius in me in-
 vehi non piguit, in suis *Ecclesiae Romano-Catholicae in*
 Hun-

Hungaria conciliis, Pofonii an. 1741. et 42. editis, in fol. Siui virum suo abundare stomacho; quod nulla prorsus re causae meae officere videretur bonitati, ingenuaeque mentis iudices facile deprehensuri essent; quid distet probatio a contumelia. Anno autem 1747 dignum *Legendariae quoque Iesuitarum Antwerpensium societati* visum est argumentum, quod sub incudem vocarent, cuiusue in tractatione nominatim me refutarent. Quam suam refutationem non ipsi tantum *Sanctorum*, quemadmodum vocant, *Actis*, et quidem ad diem 2 Septembris, inferuerunt, sed alteram etiam illius editionem extare voluit Reuerendissimus atque Excellentissimus *Dn. Episcopus hodiernus Iaurinensis*, eodem anno excusam Iaurini, in fol. Legi, perlegi, ponderavi commentationem, paratus, pro studio veritatis, quam supra omnia exosculor, palinodiam canere. Tantum vero abest, vt rationibus oppositis potuerim conuinci, vt etiam infirmis et precariis ipsorum hypothesebus, quas tantum ex pruritu obscurandi, quae scripti, omnia arripuerunt, in priore sententia magis sum confirmatus. Qua de re cognoscendi copiam aequis suo tempore faciam iudicibus. Illud miror, potuisse Patres Legendarios stili in commentatione mea notare vehementiam, non potuisse eosdem, non potuisse editores Iaurinenses, nam de Peterfyo quid dicam? se abstinere a conuiciis. Illicet hoc nouum est aucupium! Sed redeo ad musas meas Halenses. Quem Respondentem prius habui, ANTONIVM IOHANN, Regiomonte Borussiam, bonae mentis et praeclarae eruditionis iuuenem, idem non multo post, me praefide, defendit dissertationem alteram, *de sensibus et quae deo tribuuntur sensationibus*. In qua vero non est, quod mihi adtribuam, praeter argumenti propositionem, et qualemcunque orationis conformationem. Ipse in colligenda redigendaque in ordinem operam posui filua amplissimi-

plissima, *de vita et scriptis* florentissimi quondam viri ANDREAE DUDITHII. Prodiit Halae a. 1742, ac tomo postea tertio annexa est *Historiae concilii Tridentini*, quam patrio nostro sermone conscripsit CHRISTIAN. AVG. SALIGIVS, cumque praefatione sua edidit Summe Ven. SIGISM. IACOBVS BAVMGARTEN; cuius apparatu librario, in absoluendo opusculo, me mirifice adiutum fuisse, gratus praedico. Fidem, quam de edendis, quotquot superant, opusculis Dudithianis, orbi literato dedi, liberare semper paratus sum; cum non desit, qui in excudendo sumtus faciat volumine. Quae si me spes fefellerit, attamen, ut emendationes nonnullas et supplementa accipiant literarum aestimatores nostrarum, curabo. Reliquum Halis tempus studiosae iuventuti, apertis scholis philosophicis, nec non stili latini, pro viribus collocaui.

Interea, ex academia Marpurgensi honorificentissime evocatus, Halas postliminio accessit Perill. iam Dn. de WOLF; quo patrocinate, spes mihi affulsit obtinendae provinciae non poenitendae. Ea vero, quarum rerum impeditio, nescio, hoc vnum scio, patroni, ad cines mihi suspiciendi, voluntatem prolixam in me, semper fuisse et constantem, in diem producta, vocationem, ad moderandum GYMNASIVM OSNABRVGENSE, commendatus ab Excellentissimo REVSCHIO, et Summe Ven. HEVMANNO, accepi. Quam bono etiam cum deo securus, et OSNABRVGAM advectus, statim atque accessi, ab AMPLISSIMO VRBIS SENATV, gymnasii docentibus atque discipulis praefectus sum, die V. Decembris a. 1742. Orationem, quam habui, inauguralem, *de optima studiosam iuventutem instituendi ratione*, typis postea exscribendam curavi, vrbisque Senatu, patronis meis benevolentissimis, in quibus Consulibus id temporis primariis, iam b. GUILIELMI FRID. a BLECHEN, sancta mihi semper

erit memoria, dedicaui. Annus, ex quo nouam hanc
 prouinciam administrandam suscepi, agebatur septimus,
 cum ab amico, quem sua mihi integritas, non vllus am-
 bitus, conciliauit, de domicilio ad Athenas Rintelienfes
 transferendo, sententiam rogarer dicere. Facilis et expe-
 dita sensuum iudicium auscultanti erat deliberatio, in v-
 tramque partem, manendi, abeundi: difficillima et im-
 peditissima ad diuinam voluntatem adtendenti. Quid plu-
 ra dicam? Postquam ex inclita academia vocationis et-
 iam literae, praeter omnem spem et opinionem meam,
 mihi fuissent redditae, iussu SERENISSIMI PRINCIPIS
 VICARII, AVGVSTISSIMI VERO SVECORVM REGIS
 HASSIAE LANDGRAVII REL. Principis ac Domini no-
 stri longe clementissimi nomine, ad me perscriptae, nol-
 le tam effusa Summorum Principum gratia vi et beni-
 gnitate, piaculum videbatur. Missionem hinc ab Amplissi-
 mo vrbs Senatu, pro eo ac decet, orau, honorificam-
 que mihi in primis obtinui; nam et ordines, quos fla-
 gitau, ecclesiasticos, a Ven. ministerio vrnico, cum o-
 mni, qua in hac re vtuntur, solemnitate, mihi conferen-
 dos decreuerunt. Pro qua benevolentiae erga me signi-
 ficatione eximia, omnibusque aliis, quae in hospitem et
 aduenam, toto retroacto tempore, cumulate contulerunt,
 beneficiis, gratias eis, in examine publico, quod ad di-
 em IV. Septembris a. 1749. celebraui vltimum, quas de-
 bui, egi, prouinciamque mihi hactenus deposui com-
 mendatam. Nec multo post, quod deus bene vertere iu-
 beat, RINTELIVM appuli, comitem ducens puerum, pere-
 grinationis meae fructum et delictum vnicum; exuias
 enim matris, REGINAE MARIAE LVEPKIAE, quam
 dulcis Osnabruga mihi dedit coniugem, at enim, vix de-
 libatis coniunctissimae vitae deliciis, e gremio meo ere-
 ptam, in carissimae illius vrbs sinu, aliquot abhinc an-
 nis,

nis, composui. Ardua Rintelii munera, clementissima Principum nostrorum voluntate mihi demandata, ad diem IV. Septembris adii, dicta publice oratione, *De zeli et charitatis in persona theologi concordia*; ad quam programmate, *De perpetuo pietatis et practicae veritatis connubio*, Rintelium doctum, patresque in primis academiae et studiosam iuuentutem academicam, inuitavi. Cumque leges et statuta academiae impetrandorum in theologia honorum necessitatem mihi imponerent summorum, ad almam IULIAM CAROLINAM oculos conuerti, vt veteris inter vtramque academiam amicitiae, imo vero hospitii, ius, quod per Iuliae veteris in aliam faciem transformationem, maximam Ernestinae nostrae in facultate theologica catastrophe, poene erat extinctum restaurarem, fororibusque quodammodo iterum resarcirem vinculum. Cui rei dictae a me erant proximae veris feriae: ecce autem, aliam interea mihi corollam Osnabrugum amicissimum nexuit, e manibus coniugis, qua in praesens laetissimus vector, GERHARDINAE BROVNINGIAE, accipiendam, et a proposito tunc quidem exsequendo auocauit, idque vt in tempus magis differrem opportunum, imperavit, compulit. Sic factis agimur! Trahentem moras quod Summe Venerabilis theologorum in *Iulia-Carolina* ordo humanitate praeuenire me voluit et aequanimitate, quod absentem honoribus illis, iuribus et priuilegiis condecorare iam promittit annexis, quod denique beneuolentissime permisit, vt in academia nostra dissertationem proponerem et publice defenderem, monumentum suppleturam inaugurale, gratias pro eo beneficio Viris summis, quas possum, habeo maximas, referre etiam, quoties aut vsus fuerit, aut potestatis meae, paratus.

Quae hactenus assiduos inter labores, et, quod scribentium ardorem sufflaminae non potest non quam maxime,

xime, defultorias inter occupationes, edere potui, ordine temporis, quo prodierunt, sunt:

Initia religionis christianae inter Hungaros, ecclesiae orientali asserta, eademque a dubiis et fabulosis narrationibus repurgata. Dissertatio historico-critica a. 1740 in 4.

ANDREAE DVVDITH ab HOREHOWITZA Du. in SMIGLA - - - *Episcopi tunc Tininiensis, Orationes quinque in concilio Tridentino habitae, quarum posteriores duae nunc primum e MSC. prodeunt. cum appendice orationum duarum, quas GEORGIUS DRASKOWITH, Ep. tunc Quinqueecclesiensis, in eodem concilio dixit. Praefatus est ad dissertationem de vita et scriptis Ill. AVCTORIS historico-criticam adiecit - - Halae Magdeb. a. 1742. Legitur iam tomo III. Historiae concilii Tridentini a b. CHRIST. AVG. SALIGIO lingua vernacula conscriptae, in 4.*

Imp. Caes. Iustinianus M. Slauicae genti vindicatus. Schediasma historico-philologicum, quo Summos in arte medica honores amico sum gratulatus. Prodiit Wittebergae a. 1742 in 4.

Oratio, de optima studiosam iuuentutem instituendi ratione, habita in gymnasio Osnabrugensi, cum munus Rectoris capefferem. Prodiit Osnabrugae a. 1743 in 4.

De

De sonorum sine mente editorum, insidiosi illius linguarum cultoribus vitii, origine commentatio philosophica. Ibidem, occasione actus oratorii conscripta. a. 1743 in 4.

Idea boni consulis cet. programma exsequiis WILHELMII FRIDERICI a BLECHEN dicatum. a. 1744 in 4.

Trias observationum grammaticarum, quibus totidem codicis sacri V. T. loca illustrantur. Programma ad actum oratorium. a. 1744 in 4.

Predigt von der Liebe zu Christo, als einer nothwendigen Eigenschaft eines rechtschaffenen Seelenshirtens. über Joh. XXI, 15-24. Osnabrück a. 1745. Praemissa est praefatio de genuina amoris puri notione.

Decadum ANTONII BONFINII editio nupera Pofonio-Viennensis iusto pretio aestimata. Schediasma literarium et historicum, aetui oratorio praemissum a. 1745.

Verzeichniß der sämtlichen Rectorum und Conrectorum des Gymnasii zu Leutschau in Ober-Ungarn, von 1520 bis auf diese Zeit. Legitur in Cl. BIEDERMANNI *Actis Scholasticis* Vol. V. p. VI. a pag. 526-545.

De praeconcepta eruditione, verae eruditionis obice. commentatio moralis a. 1746.

Tetras observationum grammaticarum, quibus totidem codicis Sacri V. T. loca illustrantur a. 1746.

Oratio

Rei numariae e medio aevo specimen a. 1747. Exhibet numum aeneum Belae IV. et Stephani V. Regum Hung.

De dignitate memoriae. protrepticon ad studiosam iuventutem a. 1747.

Elementa logicae theoreticae, in usum auditorum suorum (methodo geometrica) conscripta. Osnaburgi a. 1748. Prostant Lemgoviae in officina Meyeriana. in 8.

Unvorgreifliche Gedanken von dem Vorzuge der neueren Weltweisen vor den Alten a. 1748.

De eo, quod iudicium vocant. Programma, quod Osnaburgi scripsi, vltimum a. 1749.

De perpetuo pietatis et practicae veritatis connubio. commentatio, praemissa orationi solemnii, pro loco in facultate theologica academiae Rintelienfis obtinendo. Rintelii a. 1749.

Oratio, de zeli et charitatis in persona theologi concordia, ex officio dicta. Rintelii ad d. IV Nou. a. 1749.

Christus gesetzt zu einem Fall, über Luc. II, 34, 35. vorgestellt in der Stadt Gemeine zu Rinteln a. 1749.

☆ ☆ ☆

Haec sunt, quae de fatis suis nos scire voluit
VIR OPTIMVS. Honorum et meritorum gloria ornatus

natus vnum defuit, quod vt Academico munere secundum maiorum instituta rite fungeretur, vt quaereret adhuc necesse fuit. Primo inter Theologos Rintelienses Doctoris etiam titulo opus fuit. Et hoc quidem nomen sibi imponi voluit ab ea Academia, quae iam ab antiquis temporibus cum alma sua ERNESTINA arctissimo iuncta fuit amicitiae et foederis vinculo. Numerat nimirum IULIA nostra CAROLINA inter Ciues suos gloriam et decus splendendum ipsi in saecula conseruantes illud Principum exemplar, et terrarum suarum delicias, ERNESTVM, PRINCIPEM SCHAVMBURGICVM. Qui, quum praesens felicitatem fuisset intuitus, qua olim Diuus ille IVLIVS terras suas beasset, ipse suorum Pater, non minorem suorum ciuium, quos tenerrime amauit ERNESTVS, felicitatem esse voluit. Vt taceam condita templa, ordinationes ecclesiasticas conditas, statum omnem ciuilem et ecclesiasticum ita institutum, vt hodie omnes fere, quas sequuntur Schaumburgici, ordinationes sint ERNESTINAE, hoc adfero, condidisse immortalē ERNESTVM in vrbe sua, ob situm amoenissima, et ob commoditatem aptissima, RINTELIENSI, Academiam in omnibus fere Iuliae nostrae similem, cuius leges, statuta, instituta, statumque omnem, tam internum quam externum, ob oculos habuit, et vt omnino IULIAE ERNESTINA similis esset

effert, operam dedit, immo, vt nihil deeffet, nomen
 suum, ad *IVLIAE* similitudinem, suae scholae indidit,
 qui mos tunc quidem nondum fuit vsitatissimus. Ab
 eo tempore regnavit in vtrâque Academia doctrina-
 rum et doctorum similitudo, ita, vt etiam, quum tri-
 stia intrarent tempora, Ecclesiam ob dissidia inter-
 na vexantia, *RINTELIENSES* semper a partibus
HELMSTADIENSIVM steterint, animique vtrius-
 que Academiae doctorum numquam potuerint a se
 diuelli. Doctores, quos *HELMSTADIUM* for-
 mauerat, *RINTELIA* suos esse voluit, et *HELMSTA-
 DIUM* suum ex illa petiit *PETRVM MVSÆVM*, et hoc
 saeculo etiam summum Rinteliensium Theologum,
BIERLINGIVM, doctoris titulo nostra ornauit *IVLIA*.
 Sed quum omnia vicissitudini subiecta sint, ac in per-
 petuo fluxu sit rerum series, instabile et inconstans,
 quidquid est, sic vterque ordo Theologicus his an-
 nis quasi de nouo oriri et restaurari debuit. Et ec-
 ce! non rumpitur, quod firmis vinculis iam olim iun-
 ctum erat faedus. Faustis omnibus illud renouat
THEOLOGVS huius Academiae *PRIMARIVS*, cuius
 vitam iam audiimus, *GODOFREDVS SCHWAR-
 ZIVS*, Vir, quem doctrina singularis, pietas non fu-
 cata, zelus cognitione suffultus, prudentia, et modera-
 tio, ita commendant, vt Academiae, ob tot rationes a
 nobis amatae, de Tanto viro omnibus votis et adcla-
 matio.

mationibus gratulari debeamus. Hic ergo est,
 MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR, VIRI
 SUMME VENERABILES, CONSULTISSIMI, EXPERI-
 ENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI
 ATQUE DOCTISSIMI, OMNIUM FACULTATUM
 PROFESSORES, COLLEGAE, ET FAVTORES HO-
 NORATISSIMI, CIVES ET COMMILITONES
 GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, ET VOS
 OMNES, QUI STUDIA AMATIS ET CONATI-
 BUS NOSTRIS FAVETIS, quem VOBIS tamquam
 talem sisto, quem impetrata a SERENISSIMO
 DVCE, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, ve-
 nia indulgentissima, ORDO noster THEOLOGICVS
pest praestitum per litteras iniurandum, ob omni-
 bus fatis probatam eruditionem, et merita, ABSEN-
 TEM quidem, sed TAMQVAM PRAESENTEM, et
 eodem modo, ac si omnia peracta fuissent, quae per-
 agi debent, hodie, d. xxv Jun. hor. ix ante mutatio-
 nem Prorektoratus, membris Facultatis nostrae in lo-
 co, vbi Consistorium Academicum haberi solet, con-
 gregatis, PROCANCELLARIATVS splendida digni-
 tate fungente S. V. Collega nostro, Domino ANTONIO
 IVLIO von der HARDT S. S. Th. Doctore, eiusdem-
 que et Hebraicae Linguae, reliq. OO. P. P. O. Biblioth.
 Acad. Praefecto, me interprete, SACROSANCTAE
 THEOLOGIAE DOCTOREM creavit, adpellavit,
 F 2 pro-

proclamavit. Satis probatae sunt causae, ob quas
 VENERANDVS hic THEOLOGIAE DOCTOR, vt-
 pote grauissimis muneribus, quibus modo fungi
 cepit, distentus, praesens ea non potuit implere,
 quae alias ex more maiorum, ex ritu omnium Acade-
 miarum, et secundum Statuta nostra praestari debent.
 Habebit tamen, ne quid omittat, quod fieri ob lo-
 corum distantiam potest, ex cathedra Theologica
 Rinteliensi proxime *Disputationem* DOCTRINAE
 PROTESTANTIVM DE FIDE SANCTITATEM
 demonstrantem. Mecum ergo vota facite, vt DEUS
 hoc totum negotium Ecclesiae, vtrique Academiae,
 omni orbi erudito, salutare esse iubeat, optimumque
 SCHWARZIVM nostrum diu saluum, incolumem,
 atque felicem praestet. Helmstadii
 d. xxv Jun. A. R. S. MDCCL.



68802

ULB Halle

3

002 625 814




58

Art 68802







16

ORDINIS THEOLOGICI
H. T.
DECANVS
ERNESTVS AVGVSTVS
BERTLINGIVS

S. S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS
PROMOTIONEM IN FACVLTA TEologica
FACTAM

NIMIRVM
VIRVM SVMMÆ VENERABILEM

GODOFREDVM SCHWARZIVM

S. S. THEOL. IN ACAD. RINTELIENSI PROFESSOREM PRIMARIVM CONSI-
STORII ECCLESIASTICI ASSESSOREM ET ECCLESIA RVM PER COMITATVM
HASSO SCHAUMBVRGICVM SVPERINTENDENTEM FAC. THEOL.
RINT. H. T. DECANVM

SACROSANCTAE THEOLOGIAE
DOCTOREM

D. XXV. IVNII A. R. S. MDCCL
ABSENTEM TAMQVAM PRAESENTEM
CREATVM ATQVE PROCLAMATVM ESSE
IAM PVBLICE INDICIT

SIMVLQVE
DISPV TATIONEM THEOLOGICAM CARDINALIS CA-
MERACENSIS CVM IOANNE HVSSO IN CONCILIO
CONSTANTIENSI HABITAM

ILLVSTRAT.

HELMSTADII
LITTERIS SCHNORRIANIS